

G. 10.

QVERELAHV⁴

IUS TEMPORIS

ECCLESIAE CRUDE

LITER OPPRESSÆ CORAM IE

HOVAH FVNDENTIS ORATIO-

nem ex Psalmo centesimo

Secundo.

PER

Cl 2703

M: JOACHIMUM

KRVGERIVM MAR.

CODVRANVM SANÆ THE-

LOGIAE STUDIO SV M.

PHILIPPVS MELANTHON.

Exul erat CHRISTVS, comites nos, exulis huius,

Esse decet, cuius nos quoq; membra sumus.



MAGDEBURGÆ, EXCVDEBAT

Paulus Donatus, Anno 1582.



MAGNIFICIS,
CLARISSIMIS ATQVE
AMPLISSIMIS VIRIS, DOMINIS
CONSULIBVS AC SENATORIBVS
Reipub : Bernburgensis Seruestensis Dessoui-
ensis & Cottensis, Dominis Meconatibus
suis omni pietate, reuerentia atq; honore
in sempiternum obseruandissi-
mis. S. D.

Absq; omni dubio, Magnifici, clarissimi
atq; amplissimi viri, Domini Patroni
perpetuò colendissimi, vestris Magni-
ficentijs atq; Excellentijs perspectissi-
mum est, Ciceronem Romanæ Eloquentiæ
principem et parentem præclare & sapienter
scriptum reliquisse: Homines nulla re proprius
ad DEOS accedere, quam salutem hominibus
dando. Nam principio hoc dictum officij, hu-
manitatis atq; pietatis plenissimum esse, nemo
sanæ mentis, vt arbitror, inficias ire potest Dein-
de quoq; omnes homines de suo officio & fine
obquem in hanc lucem sint editi, pulchre &
rectè monere atq; erudire videtur. Siquidem
non malè stoici confirmarunt omnia quæ in
terris giguntur, ad vsum hominum creari, ho-
mines autem hominum causa esse generatos,
vt inter se alij alijs prodesse possint. Quapropter
A ij hinc

hinc satis constat, omnes eos de hominum genere quam optimè mereri, summaq; & diuina beneficia exhibere, non tantum ys, qui nunc viuunt, sed omnibus etiam posteris, qui studia litterarum adiuuuare, Scholas constituere, liberaliter conseruare, collapsas instaurare non dubitant: Quem admodum contrà literarum interitus, & Scholarū deuastatio secum omnis generis calamitates trahit, & incommoda maxima quæq; importat vt pote religionis & veræ de DEO notitiæ obscuracionem, & extinctiōnem, morum feritatem, utilitatum plurimarum, quibus vita humana sine detrimento carere difficulter potest, priuationem & plusquam ticam barbariem

Sapienter itaq; recta liberorum educatione & iuventutis in pietatis, virtutis atq; optimarum artium studijs assidua & sobria informatione, nihil communi hominum societati melius, nihil fructuosius, nihil deniq; magis necessarium esse, sapientissimiquiq; vno ore consentur.

Sed pro temporis ratione hoc omnino nunc ita se habere vno atq; altero exemplo ex hystorijs veterum demonstrare constitui: Legimus Dionem Syracusanum à Platone doctrinis omnibus instructum patriæ libertatem restituisse: Timotheum Cononis præstantissimi Imperatoris Filium, summum ipsū imperatorem & hominem Doctissimum ab Isocrate esse

esse informatum: Similem quoq; imò multò
præstantiorem redditum Epaminondam illum
Thebanū à pythagæo Lyfia. Quid quod Cic.
ille patriæ pater, Orator & Philosophus apud
Romanos summus, quidquid ad Rempubl. ac
pattiam iuuandã atq; tuendam attulit, Docto-
ribus atq; Doctrinæ acceptū ferre non veretur:
τροφή γὰρ καὶ παιδείουσι θεσπὶ σωζομένη φύσει
ἀγαθὰς ἐμπροσθεῖ, καὶ αὖ φύσει θεσπὶ τοῖς ἄλλοις
ἀνκλαμανόμυλαι ἐκ βελτίστο πρότερον φύονται.

Quantum verò vicissim incommodet &
noceat liberos præsertim summorum Princi-
cipum, illustrium Heroum, & magnorum viro-
rum, male educari (vt hoc vnico exemplo con-
tentus sim) filij Cyri Regis Persarum satis decla-
rant. Nam cum pater bellicis rebus perpetuò
occupatus, liberorum iufformationem mulieri-
bus barbaris & Eunuchis, effæminatis ingenijs,
commisisset, pessimi euaserunt. Neq; enim
paternam persicamq; artem didicerant.

Cyro itaq; patre mortuo Cambyfes scele-
ratissimus & impyissimus homo confortis im-
patiens, Smerdim fratrem per Magum quen-
dam obtruncandum curauit, cum tamen ipse
diuinitus, credo, proprio prius occubuerit ense:
Et sic vterq; auito paternoq; regno priuati sunt.

Adeò verum est, quod Philosophorum to-
tius Græciæ facilè doctilissimus Plato dixit καὶ
τὰς ἐφρασάτας φύσει κακῆς παιδαγωγίας κα-
κὰς γίγνεσθαι.

A iij

Hæc

Hæc Magnifici, Amplissimi, & clarissimi viri, nunc sic beuter commemorare volui, non quod V. M. atque E. vlla admonitione opus habere existimem, sed vt perspiciatis, quàm honestè quamque pie faciatis, quamque præclarè de cõmuni patria, & omni posteritate mereamini, dum CHRISTO equitanti in ASINO vestimenta substernere, hoc est literis & ingenijs fauere, optimarum artium studia & vtiliter docentes, contra rabiem & furorem Sophistarum & hostium, qui disciplinam & doctrinas sublatas cupiunt, sum studio tueri & defendere nunquam desistitis.

Cum autem eo loco sint res meæ, vt peiore esse non possint, tum propter aduersarios, Sycophantas iniquissimos, omne perfidiæ & proditionis virus in me euomentes, qui me iacentem & grauissime afflictum penitus euersum cupiunt, tum propter communem cladem, de qua tamen iam non plura, quibus possum summis precibus peto atque contendo, vt V. M. atque E. Contra eiusmodi osos & maleuolos Diabolicos, qui famam sapientiæ vituperatione bonarum artium aucupari conantur & omnem Elegantiorum Doctrinam tanquam pestem & corruptelam pietatis exagro atque finibus Ecclesiæ exterminare student, patrociniò atque defensione me dignari, mihiq; ærumnosissimo, hoc tempore grauissimo adesse, atque opitulari velint.

Quanquam

Quamquam autem in his extrentis angustijs pro tam diuinis, & innumerabilibus beneficijs nihil remunerationis polliceri habo: Tamen vt qualem cunq; grati animi significationem ostenderem, quicquid est hoc scripti, quod sanè est maxime exiguum, V. M. atq; E. nuncupare & dedicare volui, etiam atq; etiam rogans, vt vultu benigno suscipere me meaq; studia commendata habere, & contra iniquorum iniurias, quas nunc scrobibus mandavi, opem atq; auxilium ferre velitis. Quod si, vt vehementer spero, fuerit factum, in id vnicè post hac incumbam semper vt $\sigma\upsilon\mu\ \theta\epsilon\upsilon$ V. M. atq; E. magis digna paulò post proferam.

Postremò oro DEVM æternum, vt is propter Filium, humani generis vnicum redemptorem V. M. atq; E. cum omnibus vestris quam diutissimè saluas atq; incolumes conseruare, & in æternum benedicere velit, Amen, Amen. Gardelobiae Kalendarum May Anno à virginis partu M. D. LXXII.

Magnificentjs atq; Excellentij vestris semper addictissimus,

Ioachimus Krugerius.



QVERE LA HVIVS
TEMPORIS ECCLESIAE
AD SVMNVN AFFLICTÆ, CORAM
IEHOVAH FVNDENTIS ORATIO-
nem, ex Pſalmo ſupra centefimum
ſecundo.

DISPERIO ſæuis conſtricta doloribus, & iam
Nil aliud Miſeræ niſi deſperatio reſtat:
Effundam mea vota tamen, lacrymiſq; dolores
Expediam, non auſa meos attollere uultus.
Extremis ſuper eſt hæc una leuatio curis,
Supplicibus quod adhuc patet obuia Ianua uotis:
Quod mihi SPONSVS ouans cœloq; inuectus aperto,
Ad PATREM molles aditus, & tempora fecit.
Flete in eos mecum caſus, effundite corda,
Et geminate preces: Nunc eſt locus: Ite frequentes:
Ante DEVM ſi quos hæc publica funera tangunt:
Chriſtiados quibus eſt aliquis ſub pectore ſenſus
Sauciet hæc animos mea deſolatio ueſtros,
Aſpiciſte hanc diram cladem, & miſereſcite: uobis
Iſta cano: Veſtra eſt hæc comploratio: uobis
Nunc lacrimis opus, & conſtracto pectore: uobis
Vna ſalus mecum eſt, unum & commune periculum.

IEHOVAH audi preces meas: & queri-
monia mea ad te perueniat.

O Per te exiſtens DEVS nichite, cuius ab ore

Pencleo

Pendeo mentis inops, & amari conscia luctus
Concio, quæ te sola piè & reuerenter adoro:
Hoc, age tu qui solus es & qui semper es, audi,
Quas meditor supplex contracta mente querelas.
Arcani trepidant dubia formidine sensus,
Pressaq; tabificus præcordia uerberat æstus:
Hinc quasi paturiens, mœstus ad sydera tollo.
Clamores, & opem monstris exterrita posco.

Ne auertas uultum tuum à me, indie affli-
ctionis meæ, præbe mihi aurem in-
uocanti, propera annue mihi.

AH propter DOMINVM qui quo placabilis esses,
Indomitæ moriens incendia diluit iræ:

Ne mihi, ne faciem uertas miserranda ferenti.

Qualia Maiorum fando non audiit ætas:

Nec si restat adhuc ulla ætas postera, credet.

Scilicet extremum furis Hostis acerbe furorem,

Vnius exitio incumbens, haud uiribus æquis.

O DEVS, infestor crudeliter, aspice fractam,

Annue, Quid surdas obdis Clamoribus aures?

Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti.

Nam ætas mea quasi fumus euanescit
membra mea veluti torris
exarescunt.

Nam qualis quantusq; mihi dolor incubet, illud
Indicio est: Quod sorpta malis mea diffluit ætas
Fumi instar, tenues Aquilo quem spargit in auras.

Adde

Adde quod ossa, decor, succus, uiresq; uigorq;
Corporis, usq; graui moerore excocta fatiscunt:
Sicut anhelanti quæ tosta est testa Camino,
Aut titio, aut torris, quem perpes adusserit ardor.
Ah refugit meminisse animus, quo Numine laeso
Quot mihi, quam pretiosa in flammis membra liquescant?
Ignis edax nostræ Sobolis, iam sidera tangit,
Quoq; magis pereo tantò magis æstuat ignis.
Prætereo rigidis crucibus, radijsq; rotarum
Suffixos, dulcem cornis immitibus escam.
Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti.

Cor meum ficcatur velut herba relecta:
dum immemor sum cibi capiendi.

Sicut in apricis morientia gramina campis
Languescunt, curuoq; recumbunt saucia ferro:
Sic mihi molle cor, & lachrymabile uulnere seuo
Confixum, tabescit in ops animiq; cibiq;
Quid? quòd deteriore mei uix parte superstes
Desino præcipitis solatia quærere uitæ.

Præ eiulatu meo, ad hærescunt
ossa mea cuti meæ.

Quid me oblectamenta iuuent, tot acerba meorum
Frænera, tot tristes casus sine fine gementem?
Eiulo, & in fletum duco noctesq; diesq;
Squallida, de fraudans genium, uix ossibus atris
Hæreo, uix tremulos cutis arida contegit artus
Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti.

Similis

similis sum Pelicano deserti: & similis
Noctuuæ solitudinem catpanti.

Qualis Onocrotali deserto in littore uox est,
Funestum quiddam sera sub nocte rudentis:
Tales moesta sonos, hominum consortia uitans,
Montibus & syluis, ferali carmine iactō.
Ceu quondam exosus lucem Speculator ab alta
Disiectæ turris, desolatæq; ruma,
Importuno ululatu implet loca deuia Bubo:
sic ego prisca Parens non sicca nomina mortis
Luctificum horrorem pro cantu, faucibus cedo.

Peruigilo & par sum passerulo, qui
viduus sedet in tecto.

Non secus ac tenera uiduatus compare Turtur
Aut thalami sociam lugens Passerculus amens
Peruolito mea tecta, diemq; emensa gemendo,
Peruigilo longas per noctem iterare querelas.
Quis memoret iuuenes crudeli funere mersos?
Raptasue & casas post stupra nefanda puellas?
Tam uiduas matres, quarum Censura maritis
Aut flamma, aut ferro, fauces aut cannabe strinxit?

Quotidiana me ignomina afficiunt hostes
mei: & qui me ludibrio habent, in
meum caput coniurant.

Nam quis erit modus? insultant fera monstra ia-
Calcibus & cumulant duris ludibria plagis: Centē
Quos mihi Carnifices nuper capita alta ferentes

In me

In me coniurans Occasus misit & Ortus?
Detestantur in auditis mea pignora formis
Et laxant frenos probris immanibus, in te
Vocem exaltantes: in te conuicia dicunt
Monstra, tuumq; parant terris excindere regnum.
Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti.

Adeo vt puluere propane vescar & tem-
perem poculum meum fletu.

Non sedeo Regina thoro subnixa superbo
Nec mea festiua refocillor uiscera mensa:
Sed, quia nulla meos leuat intermissio luctus
Cernua humi iaceo, terramq; miserrima lingo
Sordida, proiectum uoluens in puluere corpus
Arida si tentem perfundere fontibus ora
Mox lachrymae, largusq; irrorat pocula fletus.

Propter indignationem, atq; iram tuam,
qui me sublatum deiecisti.

Nec uero hostiles furiae, & laniena meorum
Sola mihi tantos curarum suscitatur aestus:
Est aliud maius, quod me grauat usq; nec unquam
Respirare sinit, Tua dextera me premit: illa
Me consternatam subigit, frangitq; premendo:
Et merito: Quid enim te infenso deniq; salu i este
Imminet hinc sensus peccati, hinc ingruit horror
Iudicij, quo me PATRIS indignatio terret:
Qui quam sustulerat, mox fuluae illisit arenae
Vt grauius caderem, memor haec tormenta, crucesq;
Quis patior, simul esse mea spectacula culpe.
Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti. **Aetas**

Ætas mea velut umbra inclinatur, ego
herbæ ritu aresco.

FLorebam quondam claris spectanda triumphis:
Cum tua me præsens pietasq; fauorq; bearent:
At nunc dum cursum eohibet tua Gratia, retrò
Omnia dementi sese fluxire ruina.
Ut cum crescentes nox proxima duplicat umbras,
Protinus Hesperijs fugiens Sol mergitur undis:
Sic mea præceptibus condunt se tempora pennis
Exsilijsq; graues facies mea computat annos:
Vix adolescentem rapit anticipata Senectus:
Virginis os quod erat, rugas nunc ducit aniles:
Quaq; meo Regi placui, iam forma recessit,
Dum neq; tabentes fœcundat spiritus artus,
Summaq; uiuificos exest angustia succos;

At tu, IEHOVAH qui manes æternùm, &
cuius sempiterna est memoria:

ATq; ego lenta quidem fragiliq; simillima foeno
Differor ariditate, resectis uilior herbis.
At tu, quem lachrimis & carmine iussa fatigo,
Coelesti residens solio, lucemq; ministrans,
Immortale tenes & non mutabile regnum,
In medioq; habitas nostri, nec desinis unquam
Esse meum decus, & rerum tutela mearum,
O quoties, & quæ Viduæ promissa dedisti?
Et scis, & memori clausum sub pectore seruas:
Scilicet ut DOMINVM uitæ complexa datorem
Ceu Sponsum, æterno tecum coniungerer ævo

Nec

Nec uereor, ne fors unquam tua dicta retractes
Omnipotens: neq; te Genitor sententia uertet.

Tu age miserere SIONIS: quia tempus
est ut miserearis: quia venit tempus.

SUrge potens armis, & forti pectore surge,
Disiectamq; plagis Mundi miserere SIONEM.
Collige palantem populum, tua sacra ferentem,
Cui propter fidei decus, & documenta salutis,
Cunctus ab ANTITHEO terrarum clauditur orbis:
Inclusit tua sola meam miseratio uitam.
Cetera sunt miseranda mei monumenta doloris.
Surge igitur miserere iacentis & erige lapsam.
Tempus adest? an fallor? adest optabile tempus
Cum tua me reparet bonitas, & rursus in altum
Excitet informes gratis tua dextra ruinas.

Desiderant enim cultores tui lapides eius,
& pulueris eius miseret ipsos.

NAm quantum hic latus Sanctorum continet Orbis
Vna quibus pariter tua iussa capessere mens est,
Arrectis omnes animis concorditer adstant.
Et sua cum nostro gemitu suffragia iungunt,
Vno quin etiam sensus pia uota, precesq;
Concipiunt, lachrymisq; dolorem, & uoce loquuntur,
Quando meos lapides sparsos auulsaq; saxis
Saxa uident, ubi tanta domus stetit alta petentis
Gloria: nunc foedis sunt omnia uasta ruinis:
Nuper in Occiduis quam crebra Altaria terris
Surgebant? putris nunc obruit omnia puluis.

Ergo

Ergo ubi tot læta sonuere Encomia pacis,
Atq; ubi tot sublata palam uexilla salutis
Immanes illic, & pasti cæde meorum,
Pollutis adstant adytis, arisq; Gigantes,
Qui mactare Sacerdotes, discerpere cœtus,
Fastidire PATREM, cum Seruatore, nouosq;
Aedificare DEOS, magnum & memorabile ducunt.
Vt nè addam sæuæ Gentis ludibria, cuius
Mortiferæ lacerant Sanctorum uiscera Sannæ.
Ah propera, Nè differ opem: Succurre uocanti.

Ita Gentes tuum nomen IEHOVAH ita
omnes Reges terræ MAIESTATEM
tuam reuerentur.

O Si me assereres ualida fortissime Dextra,
Vt possem recreata meos attollere uultus,
E cœtu in magno solennia reddere uota:
Quale decus? quantis sese tua gloria rebus
Tolleret? Hac fama Reges, Populiq; potentes,
Conciderent animis, tegerent iramq; nimasq;
Indomitaq; iugum pãuidi ceruice subirent.
Qui nunc me in festis animis agitantq; premuntq;:
Ritè tuis satagent aris imponere honorem,
Attoniti rebus tantis, & Numine tanto.

Quod instaurauerit IEHOVAH SIONEM:
& conspicuus apparuerit in gloria sua.

Sicut enim donec lacerata doloribus, exspes
Aestuo, mordaces sarcasmos improba turba
Non tenet, ausa tuam perstringere MAIESTATEM.

Cuius

Cuius me frustra lactet fiducia, cuius
Curta manus, non possit opem portare iacenti:
Sic ubi me mortis laqueis aeterna potestas
Exuerit, sparsamq; iugis in Tempa uocarit,
Stabit in exelsa specula clarissima facti
Lux, quaqua uersum toto spectabilis Orbe.
Scilicet ut semel affulsit tua gratia lapsis
Fulta tuis nostra est promissis uita: Simulq;
Gloria cum nostra tua statq; caditq; salute.

Quod respexerit preces humilium, nec a-
spernatus sit gemitus eorum.

Qualis honos animi indulgentis, quale Paterni
Hoc specimen candoris erit? Quod magnus Olympo
Conditor aspiciens homines, hominumq; labores
Verterit augustos ad nostra pericula sensus
Lustraritq; casas humiles parua antra piorum?
Mæror ubi & luctus stabulant, ubi sparsa capillos
RELLIGIO, sine luce sedet, Verumq; Fidesq;
Et Pudor, & raræ comites, in gloria turba
Tristia sollicitis precibus suspiria miscent?
Ah propera, Ne Differ opem Succurre uocanti.

Scribetur hoc ad posteritatem, & populus
qui ad huc creabitur, **IEHOVAM**
collaudabit.

Hoc opus humana non enarrabile lingua,
Fortiter assertæ tot per discrimina gentis.
Nulla dies grato, memoriq; exemerit æuo:

DUM

Dum Pietas erit ulla super, coelestia curans,
Regnumq; in terris aliquod Seruator habebit.
Diuina istius facti monumenta manebunt:
Et uiuent nullis Parcarum obnoxia pensis.

Despexit de sublimi loco sanctitatis suae
IEHOVAH de caelis terram aspexit:

Quin etiam noua posteritas, & sera nepotum
Progenies, tua facta canent, tibi carmina dicent
Et tua perpetuis mandabunt nomina saeculis.
Scilicet haec pleno laudabitur ore, Minores
Magnificus celsa caeli quod ab arce, iacentes
Respexit RECTOR terras, auremq; benignam
Admouit laceris infanda strage Tabernis
Iustorum quas parua manus congesserat: at nunc
Dissipat & late grassata, cruentat Erinnyis.

Vt audiat gemitus Vincitorum &
soluat morti destinatos.

Ergo aurem admouit Vindex, & lumina fixit:
Hauriat ut niestos gemitus, suspiria, planctus
In manicis, pedicisq; diu non digna ferentum
Devotosq; neci, uinclis & carcere soluat.
Ohe crudeles, quam multa indigna piorum
Millia, quam tetrus Belgae clausistis in antris?
Putris quos exeat s. nies pædorq; situsq;
Qui torti, tensiq; rigent, quos carceris horror
Exanimat: flammisq; parata cadauera seruat:
Quot dulces animæ (taceo quas ira Tyranni
Per culit) immeritas BATAVIS in turribus, arctis

B

Constricta

Constrictæ nodis, poenas cum sanguine pendunt?
Non capiunt miseros latebræ, nec claustra, nec arces?
Omnia captiuis feruent, qui more Bidentum
Cum Duci cernunt socios, sua pectora tunsit
Pallida clathratis portendunt ora fenestris.
Ah propera, Ne differ opem, Succurre uocanti.

Vt nomen IEHOVAE in SIONE, & laus
eius in Hierosolymis prædicetur.

FRange truces laqueos, & ahenea uincula frange
Contere numellas teretes boiasq; tenaces
Rumpe catenatos tenebroso in carcere nexus:
Illis ut cœli fas sit conuexa tueri,
Cœlesti quos luce foues, cœloq; repones,
Mox implacati, semperq; cruenta minantis
Funera, Tortoris truculentos corrige uultus,
Ut iam iamq; suis exempta pauoribus, omnes
In te conuertat sensus, tibi pectore toto
Incumbat, te sancta colat, tua facta propaget,
Amplificetq; tuum uiuax Ecclesia Nomen:
Quàm latè spargit radios lux aureaphœbi,

Dum colligentur populi simul: & Regna
conuenient ut seruiant IEHOVAE

Aspice multiplices Populi glomerantur in unum
Concurrunt uariæ nullo discrimine Gentes
Quin etiam Reges, tua signa, Ducesq; secuti
Et secum ingentem longè lateq; cateruam
Sollemne ad Templum leto clamore trahentes

EXACTA

Exacuere pias simul in noua carmina lingua,
Fidentes animis, pariterq; in utrumq; parati,
Sive litare DEO, seu pulchræ occumbere Morti.

Afflixit in vitæ cursu vires meas: & de-
curtauit æuam meam.

Hoc ego successu nuper mihi uisa renasci
Quam tua fidentem nunquam promissio fallat,
Abijcias nec opus tua quod manus inchoat: Eheu
Me Miseram? Tam certa tui documenta fauoris,
Tot celebres cætus, tam læta examina, tantos
Concursus, studium, lachrimasq; fidemq; precesq;
Tot capitum, quibus idē animus, dare nomina CHRISTO.
Et laqueum mandare Dijs spiramine cassis:
Sic malè mulctari, sic nullo nindice, toto
Orbe procul spargi, medioq; fatiscere cursu
Ut uidi: ut perij? diris angoribus intus
Pressa cor, & uires animis exuta priores.
Sane (inquam) si sic agitur PATER optime mecum,
Si sic accidis fausta incrementa tuorum
Et tenera optatam messem consumis in herba:
Afflictum, curtumq; nimis, mihi contigit æuam.

Dixi, mi DEVS, noli me in media ætate
tollere: tu qui es annis supiternus.

Scilicet emerior uix nata, diemq; supremum
Ante reformido, quam prima adoleuerit ætas:
Triste mori medio spacio, cum uiuere dulce est.
Parce PATER, uanum est quidquid sumus atq; caducum:

B 2

Ne

Ne tibi, ne ueniat reuocanti tanta cupido:
Nec tu qui uitam extento tibi sufficis auro
Friuola curriculo in medio mihi stamina frangas:
Sed magis in nobis, CHRISTO, quid uiuere coepit
Auspice, diuturnum, uiuaxq; tuere fouendo:
Donec nos repares, & ab omni parte reformes.

Olim tu terram fundasti, & coeli sunt
opus manuum tuarum:

Terra tuis olim manibus librata pependit
In medio, gestans mortalia corpora, Mundo:
Illa Parens saeculis etiam uiuatior ipsis
Quam stetit inconcussa diu? nos incola in horas
Spargimur, & breuibus miserisq; putrescimus annis:
Quin & caelorum distincta micantibus astris
Fabrica, quam spectata tuae uirtutis imago est,
Tam nostrae est testis putredinis: illa superstes
Mille hominum fluxis et atibus, omnia lustrat
Secula, nec senio faciem pulcherrima mutat.

Et illi quidem peribunt, tu autem perma-
nibis: omnes velut indumentum ve-
rascent omnes in modum vestis
te mutante obsolescent:

At qui ut nos eius respectu pulueris instar
Proijcitur: sic illa tuos si inquirat in annos
Par fuerit uentis, uanoq; simillima fumo.
Nam postquam nostrum perijt Genus: ilicet ipsis
Sera licet ueniet corruptio caeli

Cor.

Corporibus, finemq; suum sortita, peribunt.
Non aliter tenui quam texta calantica filo
Quam manus artificis Phrygio decorauit honore
Exeditur tamen, atq; ipso, consumitur usu:
Sic cum præcipites reprobi, quo iusseris, ibunt
ut sibi digna metant sceleratis præmia factis:
Machina tunc coeli, terræq; soluta liquefcet
Ignibus, & totum inuoluet destructio Mundum.

Tu autem idem semper es: & anni
tui sunt infiniti,

Usq; adeo nihil est stabile, excipe MAIESTATEM
Quæ per se uiuens, nullo concluditur æuo,
Cuius ab imperio ætates & sæcula pendent,
Cui sunt immensi menses, anniq; perennes:
Cætera, ut Euripus citro miscentur & ultro
Nec solidum fundamen. habent, sed protinus ut sunt
Orta, trahunt lapsu nostro conuulsa ruinam.

Quin eiam filij eorum qui te colunt per-
dura bunt: & posterij eorum coram
te feliciter agent.

St ea MAIESTAS (postquam satiata flagellis
Pastoris, Sponsiq; mei deferbuit ira)
Extremi interitus, meq; & mea membra periculis
Exenit, medijsq; malis confidere iussit:
Viuit enim, uiuetq; meus sine fine Redemptor
Inseruit qui me sibi, & arcto fœdere iunxit.
Ille sua Mortem Morte enecat, ille salutem
Viuentiq; uias mecum communicat omnes.

Quare ut me feriant Terra Coeliq; ruinae,
 Impavidam ferient, & magno Vindice tutana.
 Ut me mille modis leti, fera monstra trucident
 Quae gladios, ignemq; uomunt quae funera caelo
 Accumulant, rerum euentus secura, silebo.
 Ut quot Vere nouo se frondibus induit arbor,
 Aut Verno quot rore madens fert gramina campus:
 Tot mihi carnifices Occasus mittat & Ortus
 Qui cinere in nostro exultent, in sanguine regnent
 Illi, quae fecere luent: Ego uindice CHRISTO
 Cui me despondit PATER ipse, ab origine Mundi
 Emergam medijs Acherontis faucibus: Ille
 Absterget maculas oculis, luctumq; crucesq;
 ANTITHEIQVE minas & Mundi principis iras.
 Cum scelerum formis, sub tristia Tartara mittet.
 Tunc ego plena DEO, cum tota stirpe piorum,
 Qui te cunq; colunt, qui te coluere, colentue
 Leta choros ducens, Hymnosq; & cantica tractans:
 In gremio PATRIS immortalis perfruar euo.

DE LIBERO AR- BITRIO.

Quid quaeritur in Ecclesia in quaestione
 de Libero Arbitrio?

Ecclēsia in doctrina Liberi Arbitrii considerat &
 deplorat ingentem infirmitatem humanarum. Vari-
 um in natura post lapsum Adae. Ac

Ac docet uoluntatem hominis in tam tristi ruin^a
aliquomodo esse liberam, quoad externam disciplinam,
Sed esse seruam & inutilem factam in rebus Spiritualibus
coram DEO

Vndè Sumptum est uocabulum
Liberi Arbitrij?

EX Philosophia & Philisophicis scriptoribus quo-
rum cum nimis studiosi fuerunt Vetus Patres cle-
mens Alexandrinus & alij, uocabulum Liberi Arbitrij
ignotum toti Scripturæ transtulerunt in doctrinam Ec-
clesiæ, Ac refutando Stoica & Manichæa deliria de causa
sa mali, de Fato & Enthusiasms, extulerunt Vires Li-
beri Arbitrij donec progressi longius, plus iusto tribue-
runt Libero Arbitrio etiam in rebus fidei.

Indè natæ sunt pelagianæ opniones de uiribus Li-
beri Arbitrij, quod possit se applicare & præparare ad
gratiam, quod ex sese possit cooperari gratiæ SPIRITVS
SANCTI in his quæ sunt SPIRITVS DEI.

Quid communissimè Significat, voca-
bulum Liberi Arbitrij?

Liberum Arbitrium communiter dicitur facultas in-
uoluntate eligendi & expetendi ea quæ monstrantur,
uel reijciendi eadem, quæ facultas in natura hominis post
lapsum multipliciter impedita est. Vocantur, autem Libe-
rum Arbitrium Mens & Voluntas, hominis coniunctæ:
Arbitrium dicitur respectu: Mentis: Liberum respectu uo-
luntatis: Scriptura uocat cor aut Mentem. Gen: 8.
Eph. 4.

B 4

Habet

Habet ne homo post lapsum Adæ ali-
quod Liberum Arbitrium?

HABET. Sed tantum quo ad externam disciplinam:
Quod homo in hac corrupta natura potest, cum
uult, uitare externa scelera, & mores externos aliquo
modo regere secundum rectam rationem, uel leges hone-
stas. De qua Libertate uoluntatis reliqua in homine etiam
Philosophia loquitur.

Potest ne homo post lapsum Adæ præ-
stare externam Disciplinam?

Potest. Primum enim docet tum Scriptura sacra, tum
Experientia, hominem posse libera uoluntate con-
trarias actiones suscipere. Ioh. 19. Pilatus iam uult di-
mittere Christum, mox condemnat eum morte. Matt: 18.
inquit Centurio: Cum dico seruo meo, fac hoc & facit:
Veni ut uenit: Vade & uadit. Ioh: 21. inquit CHRIS-
TUS Petro: Cum iunior esses cingebas te metipsum &
ambulabas, quò uolebas. &c.

SECUNDO. quia Paulus docet esse aliquam carnis
Iusticiam, quam homo suis uiribus efficere possit, quia
Lex naturaliter nota sit & posita iniustus. Philip: 2.
Ut iueniar habens non meam iusticiam sed illam quæ est
ex fide IESU CHRISTI. 1. Timot: 1. Lex posi-
ta est in iustis parricidis, periuris, Adulteris ut externa
scelera inimpijs coërceat. Rom. 2. Gentes habent opus
Legis Scriptum in cordibus & naturaliter ea quæ legis
sunt faciunt.

TERTIO: Quia iritæ essent omnes Leges Magi-
stra

stratum, si nemo posset cohibere membra ab externis delictis.

QUARTO. Quia blasphemia est in DEVM, & in se perniciosum moribus, dicere: Hominem peccare necessario, ut necessitate fatali, DEO uolente, & impellente eum, peccet.

CUR LVTHERVVS in libro de seruo Arbitrio dicit Hominem peccare necessario?

SENTENTIA Patris LVTHERI dextrè in tellecta hæc est: Hominem post lapsum Adæ peccare necessario, non necessitate fatali, quo ad Deum uolentem & cogentem nos ad peccandum, sed quo ad Naturæ nostræ prauitatem: Quia natura Hominis sine gratia CHRISTI iam talis est, ut non possit non peccare. Iuxta illud: Arbor malus, non potest fructus bonos facere.

Deinde quamuis homo sine gratia DEI quædam ciuiler bona faciat, Attamen immota manet Regula: Rom: 14. Quicquid fit sine fide CHRISTI, peccatum est coram DEO.

Quare externa disciplina è necessaria?

NECESSARIO etiam in renatis propter quatuor causas.

PRIMO Propter mandatum DEI cui omnes homines obedire oportet.

SECUNDO. Ut uitentur poenæ in hac & futura uita: per quæ enim quis peccat per eadem punitur: Sap: II.

B 5

Item,

Item, Qui malà egerunt ibunt in ignem æternum.
1. Ioh. 5.

TERTIO. Vt nobis & alijs sit tranquillitas, quæ esse non potest, cum cuiq; licet quod libet.

QUARTO. Vt disciplina sit pædagogia in CHRISTVM: Quia in his, qui externam disciplinam uiolant, SPIRITVS SANCTVS non est efficax.

Est ne disciplina externa, Iusticia
coram DEO.

Minime. Etsi enim externa Disciplina in Aristide, Socrate, Gammaliele & similibus formosior est Hespero & Lucifero: Attamen longissimè abest à perfecta Legis obedientia, quam DEVS exigit: Rarò quoq; absq; nœuis est ut cernitur in Themistocle: Semper & multiplicem cordis immundiciem secum trahit, ut Scipio ardet amore alterius Sponsæ, etsi adulterium non commisit: Ideo inquit Moscs Exod: 34. DOMINE DEVS nemo est apud te innocens.

Quæ sunt impedimenta externæ
Disciplinæ?

Primò. Ingens naturæ humanæ infirmitas.

Secundò. Impulsiones Diabolorum infinitæ & assiduas.

Tertio. Praua exempla aliorum in mundo. (duæ.)

Quarto. Cæca persuasio & spes impunitatis.

Philosophia iubet his malis opponere uerane
prociçerlu id est serium Voluntatis conatum recte
faciendi. Ecclesi

Ecclesie doctrina docet vires humanas aduersus impe-
dimenta illa nimium esse infirmas, iubet igitur opponere:

PRIMO. Fiduciam FILII DEI presentis depellentis
Diabolos.

SECUNDO. Verbum DEI monstrans uiam cauen-
di scandala.

TERTIO. SPIRITVM SANCTVM & petitionem
diuini auxilij.

QUARTO. Timorem DEI, Vigilantiam; Inuocatio-
nem DEI & studium obediendi DEO, & uitandi malas
occasiones. Luc: 22. Simon, Simon, Sathanas expeti-
uit uos ut cribraret uos, sed ego pro te rogavi patrem.
Psal: 119. Gressus meos dirige secundum uerbum tuum.
Gal: 5. Spiritu ambulate & desideria carnis non perfici-
etis. I. Corint: 10. Qui stat uideat ne cadat. Matt: 26.
Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Habet ne homo non renatus liberum
Arbitrium in rebus Spiritualibus
coram DEO?

NON HABET. Quia uoluntas hominis in rebus
diuinis & spiritualibus non libera sed captiua est:
Natura enim humana per peccatum Originis facta est in-
utilis ad bonum, & prona ad malum, sicut haec dicta do-
cent:

Nisi quis desuper renatus fuerat ex AQVA & SPIRI-
TV non potest uidere regnum DEI. Quod natum est ex
carne caro est. Ioh: 3. Psal: 14. Omnes declinauerunt, &
simul inutiles facti sunt. Gen: 8. Cor hominis prauum &
peruersum est à pueritia. Ierem: 17. Ecc. .

Ecclesia igitur quærens ex Verbo DEI quid homo
iam possit in rebus fidei, loquitur non de Libero Arbitrio
sed de seruo captiuo & inutili Arbitrio, quemadmodum
Augustinus contra Pelagianos, LVTHERVS contra Pa-
pistas & Erasmum Roterodamum disputat.

In quibus rebus consistit seruum Ar-
bitrium hominis?

IN quatuor his gradibus in quibus infirmitas & prauis-
tas humanæ naturæ post lapsum conspicitur.

PRIMO. De tollendo peccato & morte.

SECUNDO. De conuersione & interiore Regenera-
tione cordis.

TERTIO. De carne in Renatis fide concupiscente
aduersus SPIRITVM.

QUARTO. De Electione & Euentibus consiliorum
& actionum humanarum in communi Vita.

PRIMVS GRADVS SER- VI ARBITRII.

Potest ne homo suis Viribus tollere pecca-
tum & mortem?

NON. Quia manifestum est hominem post lap-
sum non posse naturalibus suis Viribus exuere
peccatum Originis, & malam concupiscentiam:
Nec posse tollere peccatum & mortem, iram DEI, æter-
nam damnationem & Tyrannidem Diaboli nec posse im-
plere Legem DEI nec mereri gratiam & iusticiam apud
DEVM, donū SPIRITVS SANCTI & uitam æternam.

In his

In his Natura & Voluntas humana non est libera sed
captiua, serua, rea, inutilis & prorsus inefficax. Sicut
hec dicta docent. Ioh: 8. Omnes sumus natura filij iræ.
Rom: 7. Ego miser homo Venundatus sub peccatum,
quis liberabit me ab hoc corpore peccati & Mortis?
Rom: 8. Caro legi DEI subiecta esse non potest. Rom: 3.
Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. Luc: 17.
Cum feceritis omnia, dicite: Serui inutiles sumus.

Quis igitur est Redemptor & Sal-
uator hominum?

ATernus DEI FILIVS Dominus noster IESVS
CHRISTVS, missus in carne nostra, ut destruat ope-
ra Diaboli Peccatum & Mortem. 2. Cor: 5. Eum qui
non nouit peccatum, ut pro nobis fecit peccatum essemus
Iustitia DEI in ipso.

FILIVS igitur DEI IESVS CHRISTVS factus
maledictum & Victima pro peccatis Mundi, Legem pro
nobis impleuit, peccatum expiauit, Mortem destruxit, &
meruit nobis absq; omni nostra dignitate, preparatione
uel cooperatione, gratiam & iusticiam apud DEVM,
Donum SPIRITVS SANCTI & Vitam aeternam. Gal:
3. Ioh: 1. Gal: 4. Rom: 9. Credimus igitur per gratiam
IESV CHRISTI Saluari gratis sine operibus nostris,
sicut Patres saluati sunt. Act: 15.

Quid docet hic primus gradus serui,
Arbitrij?

PRIMUM docet quantum sit malum in natura homi-
nis peccatum, & quanta miseria & seruitus pecca-
tum Originis secuta sit. SECVN-

SECUNDO. Clare refutat & euertit opinio-
nem proprii meriti, & Iusticiam operum, quam defen-
dunt Pharisæi, Pelagiani & Papistæ.

TERTIO. Ostendit ueram causam Cur homo iam
non possit Iustificari per opera Legis: Et deducit men-
tes ad CHRISTVM Mediatorem, Quod is est Vnicus
Redemptor & Saluator hominum.

QUARTO. Ponit ob oculos Discrimen Legis &
Euangelij & discernit Iusticiam operum, à Iusticia fidei
per CHRISTVM.

SECUNDVS GRADVS SERVI ARBITRII.

Potest ne Homo naturalibus suis Viribus sine
SPIRITV SANCTO se conuertere ad
DEVM aut Verbo DEI credere &
obedire?

NEQVAQVAM. Firmissimè enim hæc
Regula tenenda est: Voluntas humana non po-
test naturalibus suis viribus sine SPIRITV SAN-
CTO inchoare aut efficere interiores spirituales
motus cordis quos DEVS postulat, Hoc est,

Homo uiribus corruptæ naturæ suæ sine Euangelio,
sine FILIO DEI & SPIRITV SANCTO prorsus nihil
potest in his quæ sunt SPIRITVS DEI, neq; cogitando
neq; assentiendo, neq; obediendo, neq; cooperando SPIRI-
TV SANCTO, neq; preparando aut applicando se ad
gratiam, neq; ex se inchoando aut efficiendo agnitionem
DEI

DEI ueram & conuersionem ad DEVM, Timorem DEI,
Fiduciam & dilectionem DEI, & alias pias Virtutes
placentes DEO.

Imo tota natura hominis post lapsum Adæ in rebus
Diuinis cæca est, prona ad malum, auersa à DEO, inimica
DEO, sicut hæc dicta docent: Ioh: 3. Nisi quis desuper
renatus fuerit ex AQUA, & SPIRITU, non potest uidere
regnum DEI. Quod natum est ex carne caro est.

Rom: 7. Lex Spiritualis est Ego uero Carnalis.

Psal: 14. Omnes declinauerunt & simul inutiles facti
sunt I. Cor 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt
S. DEI 2. Cor: 3. Non sumus ex nobis sufficientes in re-
bus fidei quidquam cogitare tanquam ex nobis. Ioh: 15.
inquit CHRISTVS, sine me nihil potestis facere Gen: 8.
Cor hominis malum & peruersum est à pueritia. Ro: 3.
Sensus carnis inimicitia est aduersus DEVM.

Idem prorsus sentit LVTHERVS, nec aliud uult
cum dicit: Hominem in Regeneratione Spirituali habere
se merè passiuè, positum in mera potentia passiuà, non a-
ctiuà id est nihil prorsus ex se posse ad efficiendam conuer-
sionem & interiorem renouationem cordis, nec ullam in se
habere naturæ Vim seu δύναμιν, qua se ad eam dispo-
nere seu præ se posse possit.

Hoc modo Vetus Phrasis: Homo habet se purè passia-
uè intelligenda est, & opponenda Pelagianis, Papistis &
Synergistis. Nequaquam uerò, ad arcanam, inuoluntariam
fanaticam conuersionem stabiliendam, detorquenda est.

Quomo-

Quomodo igitur fit in homine conuer-
sio seu interior Regeneratio cordis?

Praeunte gratia DEI & comitante Voluntate. Co-
mitatur autem Voluntas nostra SPIRITVM SAN-
CTVM Duce[m] quatenus sanari coepit.

Quomodo fit hoc?

PRIMO. Necessè ut FILIVS DEI praeueniat est nos
gratia sua, & perat luce uerbi sui, auditi aut cogita-
ti, quo doceat corda.

SECUNDO. Ut SPIRITVS SANCTVS per Ver-
bum DEI corda moueat, illuminet, trahat & efficiat, ut
uelimus.

TERTIO Ut uoluntas nostra DEO non repugnet,
Sed assentiatur & obediat. Iuxta dictum CHRISTI Ioh:
6. Omnis qui audit à PATRE & discit, Venit ad me. As-
sentitur autem Voluntas humana non ex se, sed ex gratia
DEI. Et nisi DEO sic uolens obediat nulla fit conuersio.
Sic in pijs motibus spiritualibus concurrunt:

VERBUM DEI: SPIRITVS SANCTVS: ET
VOLUNTAS OBEDIENS DEO. Quae causarum co-
pulatione omninò retinenda est aduersus Fanaticos & ad-
uersus opiniones Pelagianas dextrè accipienda & rectè
explicanda est.

Qui sunt errores pugnantes cum do-
ctrina Liberi Arbitrij?

AB Vna parte errant de Libero Arbitrio Pelagiani
Papistæ & Synergistæ.

Ab

Ab altera parte errant de eo Fanatici, Manichæi,
Enthusiastæ, Anabaptistæ, Suuenckfeldiani, Epicurei
nostri & alij, qui fanaticis opinionibus fascinantur.

Quid docent Pelagiani, Papistæ & Syner-
gistæ de Libero Arbitrio?

Pelagiani docuerunt: Hominem suis uiribus posse
obedire & satisfacere Legi DEI, DEVM timere, dili-
gere, credere uerbo Dei, mereri gratiam & uitam eter-
nam.

Idem docuerunt Papistæ initio renascentis Euang-
gelij. Hodie docent Papistæ: Hominem suis ueribus
non posse pœnitere sicut oportet, nec credere DEO, nec
diligere DEVM: sed tamen superesse in natura homi-
nis uim seu dynamin aliquam ad motus diuinos & spiri-
tuales si ea modo per gratiam DEI excitetur.

Synergistæ dicti sunt qui fingunt hominem ui na-
turali posse aliquo modo assentiri seu credere promissioni
Euangelij & ex se spiritu sancto in conuersione coope-
rari. &c.

Quomodo refutandi sunt Pelagiani Papistæ
& Synergistæ?

Philippus Melanhton in locis comunibus
opponit eis Regulam hanc: uoluntas humana non
potest naturalibus suis uiribus sine spiritu sancto
inchoare aut efficere spirituales motus cordis,
quos Deus postulat.

Quæ Regula Synergiam uoluntatis humane ex uiribus

C

ribus

ribus carnis prorsus euertit, & Pelagianas opiniones de Libero Arbitrio, quas Papistæ retinent, luculentè refutat.

Deinde opponit eis Philippus dicta scripturæ de adynamia, & prauitate naturæ humanæ in rebus fidei qualia aliquot supra recitata sunt, quæ liberum arbitrium clarè refutant, & docent: Hominem in rebus diuinis iam habere non liberum, sed seruum & in utile Arbitrium, Ex quibus scripturæ dictis Regula illa extructa est.

Postremo docet Quomodo in nobis fiat interior renouatio cordis. Hic coniungit tres causas spiritualium motuum cordis: Verbum DEI: Spiritum sanctum: & Voluntatem hominis non repugnantem, sed assentientem & obedientem DEO.

Quo loco expressè testatur, se loqui de tali uoluntate humana, in qua spiritus sanctus, per uocem Euangelij auditam uel cogitatam efficax est, & quæ adiuuante iam spiritu sancto, conatur assentiri uerbo DEI, quod & ipsa causarum series conuincit.

Quid docent fanatici, Manichæj, Enthusiastæ, & similes de Libero Arbitrio?

FAnatici omnes cum audiunt Hominem in rebus Spiritualibus ex se prorsus nihil posse, Conuersionem cordis esse opus solius Spiritus sancti, Voluntatem hominis in conuersione prorsus ociosam esse, & nihil agere, sed merè passiuè se habere &c. Abutuntur ea doctrina ad confirmandam suam impietatem aut diffidentiam: Fingunt

homi.

hominem in Spirituali regeneratione ita merè passiuè se
habere ut omnino se habeat ut statua. Ideo imaginan-
tur Conuersionem in nobis fieri per arcanam operatio-
nem DEI in nobis, per arcanam transfusionem fidei in
corda, quando DEO uisum sit sine ulla nostra actione,
hoc est, Etiam si homo Verbum DEI non audiat, non
curet. Sed persistat in peccatis, aut indulgeat diffiden-
tiæ. Quæ arcana inuoluntaria conuersio merum lu-
dibrium Sathanæ est.

Sunt ne tales Fanatici in nostris Ecclesijs ?

Fanatici errantes de Libero Arbitrio sunt duo-
plices. Alij palam abiiciunt & contemnuunt externum
Ministerium & usum Verbi DEI & Sacramentorum,
fungunt ac dicunt DEVM se nobis communicare sine
medio, conuerti nos arcana DEI operatione sine Mini-
sterio Verbi, & postea accedere doctrinam, ut homo
exterior habeat exercitium.

Tales sunt Manichæi, Enthusiastæ, Anabaptistæ
Suuenckfeldiani & similes, ubicunq; sunt.

Alij uolunt uideri retinere Verbum DEI, faten-
tur non aliter nos conuerti, quam, per uerbum DEI
Interea fanatica imaginatione fascinantur ut indulgeant
profanæ suæ securitati aut diffidentia.

Tales sunt Epicurei nostri, audientes quidem
Verbum DEI sed indulgentes peccatis. Hi cum audiunt
Conuersionem in nobis esse opus solius Spiritus Sancti,

singunt fore, si conuerti debeant, ut arcana diuina operatione, quando DEVS uelit, conuertantur, sine ulla sua actione, etiamsi uerbum DEI non current, obediant ei, sed indulgeant peccatis.

Tales sunt & multæ anxie conscientie luctantes in tentatione, quæ ad monitæ de promissionibus Euangelij, & de præceptis DEI, ut credant in Christum, dicunt, se isthæc omnia quidem scire, sed non posse se credere Deum non dedisse sibi fidem. Quæ Sathanicæ illusiones multos in desperationem conijciunt: Sicut & Lutherus docet. Gen: 26.

Quomodo fanaticæ illæ opiniones refutandæ sunt?

Philippus in locis communibus iubet nos ordiri a uerbo DEI & opponit delirijs fanaticis dictum Christi Ioh. 6. Omnis qui audit a patre & discit, uenit ad me, ut corda ad studium audiendi & discendi uerbum DEI excitat. Et prodest addi alia dicta scripturæ, quæ de audiendo uerbo DEI, de audiendo FILIO DEI, de fide in Christum & de efficacia uerbi DEI, in cordibus loquuntur.

Simul uerò inculcat Philippus consolationem, gratiam DEI deesse nenimi, uerbum DEI audienti. In eam sententiam citat dictum Basilij: Tantum uelis, & DEVS præoccurrent tibi, Hoc est, Tu tantum habeas studium audiendi & discendi uerbum DEI, Gratia DEI tibi non deerit. Sic citat & illud Chrysostimi: Trahit DEVS sed uolentem trahit id est, DEVS est
efficax

efficax in his qui uerbum DEI audiunt, discunt, non
contemnuunt, Deus anteuertit nos mouet, adiuuat, nos
modo uiderimus ne DEO repugnemus.

Deinde opponit Philippus fanaticis Regulam
hanc: uoluntas humana in conuersione, non est
ociosa ut statua, sed agit aliquid.

Dicit porrò mentes abducendas esse a fanaticis ima-
ginationibus, & sic esse docendas: Quod aliquid agit
Liberum Arbitrium, id est, quod uoluntas hominis in
conuersione non sit prorsus ociosa, sed debeat audire, dis-
cere, cogitare Verbum DEI, non repugnare ei, sed ad-
iuuante Spiritu Sancto obedire DEO: Quibus uerbis
Philippus ibi non confirmat opiniones Pelagianas, quas
ante refutauit sed disputat contra illos, qui fanatici ima-
ginatione fascinati fingunt, hominem in conuersione ita
merè passiuè se habere, ut possit conuerti ad DEVM,
etiamsi uerbum DEI non audiat, non cogitet, non obe-
diat ei quemadmodum Lapis in ficum uertitur.

Alibi opponit fanaticis & hanc Regulam: Dum
omninò repugnat uoluntas, nulla fit conuersio. Item,
Nulla fit conuersio, nisi uoluntas DEO obe-
diat, iuxta dictum Christi omnis qui audit à patre &
discit uenit ad me.

Postremò cum Diabolus non modo Epicureos, sed
etiam pias mentes fanatica imaginatione sepe uexet, quod
cum norint promissionem gratiæ de Christo, & sciant
DEVM uelle ut in eum credant, in lucta tamen spiri-
tuali dicant se non posse credere: Hic docet Philippus
talibus inculcandas esse promissiones Euangelij, & præ-

cepta DEI de fide in Christum. Et sic esse erudiendos
& erigendos, quot non sint sine gratia DEI, quod fides
aliqua supersit in ipsorum corde, quod Spiritus Sanctus
eam foueat.

Fide igitur aspiciant Christum, & iuari se petant,
Sicut & Lutherus de muliere Torgensi disserit. Gen. 26.

Tandem Philippus dictum illud: Liberum Arbitri-
um in homine est facultas applicandi se ad gratiam, ac-
commodat ad eos, qui excitati promissione gratiae secum
luctantur. Deum inuocant, & repugnant diffidentiae, ut
doceat, Tales posse DEO credere & obedire ei si uelint.
Si enim abijciantur a DEO causam esse in ipsis & non
in DEO.

Haec uera sententia Locorum communium
Philippi in conspectu sit, ne, quae in ijs contra fanaticos
dicuntur, de torqueantur cõ, ac si pro Pelagianis ac Pa-
pistis dicta sint.

Diciturne rectè. Voluntatem Hominis in con-
uersione non esse ociosam, sed agere aliquid?

Rectè sic dicitur, si modo rectè intelligatur Sciendum
est autem usurpari id dictum non pro Pelagianis &
Papistis, Ut uires Liberi Arbitrij contra gratiam sta-
biliat: Sed opponi Fanaticis qui fingunt hominem in con-
uersione, omnino se habere, ut truncum, & conuersio-
nem in nobis fieri per arcanam transfusionem fidei in cor-
da, quando DEO uisum sit, sine ulla nostra actione, id
est, etiamsi homo Verbum DEI non audiat non curret,
non obediatur ei.

Quid

Quid igitur agit Voluntas in Conuersione ?

Homo etsi in inchoanda & efficienda Conuersione ex se iam prorsus nihil potest : attamen potest, cum uult, Verbum DEI audire, cogitare, discere. Potest eidem repugnare & gratiam DEI a se repellere. Sicut Saul eam repulit.

Cumq; Verbo DEI obedire debeat Spiritu Sancto iam cor eius per Verbum mouente oritur pauor & lucta in corde, donec uel a DEO se auertat, ut Saul : uel per gratiam DEI uolens ei obediat ut David.

Et quamuis ex se obedire DEO nequit, attamen cum per gratiam DEI obtemperat ei sciens & uolens non coactus. Hinc cernitur, qui motus & quæ actiones sint in corde Hominis, quando conuertitur, qui non sunt in statua.

Diciturne rectè : Agere aliquid Voluntatem
Dauidis, cum se sustentat promissione
Euangelij ?

Rectè sic dicitur, Quando enim David se erexit uoce Absolutionis, Transtulit Dominus peccatum tuum, uoluntas ipsius non fuit ociosa, ut Truncus patiens sibi insculpi imaginem, sed ingentem luctam in sensu peccati, iræ DEI & mortis æternæ sustinuit, in qua per gratiam Spiritus Sancti promissam misericordiam in Christo arripuit, Ideo Philippus explicans se, statim Verba hæc ibi subiicit : Cumq; conatur se uoce illa sustentare, iam adiuuatur a Spiritu Sancto.

G 4

Dicitur.

Diciturne rectè, posse aliquo modo credere pias
anxias conscientias stantes in lucta spiri-
tuali cum fides oppugnatur?

Rectè sic dicitur, si modo rectè accipiatur. Loquitur
autem sic Philippus non de Epicuræis & palam
impijs, qui sine Spiritu Sancto sunt, sed de pijs auxilijs Con-
scientijs luctantibus in tentatione fidei. Quæ etsi no-
runt Christum & promissionem Euangelij & salutem
æternam expetunt: Attamen fanatica imaginatione fasci-
nati dicunt se non posse credere, Deum non dedisse sibi
fidem &c. Talibus dicit Philippus in culcandas esse
promissiones Euangelij de Christo & præcepta DEI, ut
credant in eum, Filium DEI audiant, aspiciant eum
Mediatorem, in eo obediant DEO & non dubitent.

Addenda est & hæc Consolatio. Quod gratia
DEI desit nemini Verbum DEI audienti. Quod
dat fidem & Sanctum Spiritum omnibus, qui obediunt ei.
Act: 5. Quod DEVS adsit infirmis, eos diligat, in corde
contrito & humili habitet, unum fumigans non extinguit,
infirmis fidem adaugeat.

Sic igitur tales erigendi sunt: Quod non sint sine
gratia DEI nec deserti à DEO, quod fides aliqua sus-
persit in ipsorum corde quam Spiritus Sanctus foueat,
etiamsi ipsi eam non sentiant, in firmam fidem etiam esse
fidem, quæ Christum arripiat.

Deinde exhortandi sunt ad inuocationem DEI, ut
petant auxilium Spiritus Sancti iuxta illud: Domine ad-
auge nobis fidem Luca. 17.

Mar: 9. Domine fer opem incredulitati meæ.

Cono

Confirmandi quoq; sunt crebra uoce Absolutionis,
& usa coenae Domini & faciendae pro ipsis preces priua-
te & publicae cum Ecclesia.

Lutherus in Genesi Cap. 26. dicit huiusmodi imagi-
nationes esse illusiones Satanae, & recitans Historiam de
muliere Torgensi docet tales non esse sine fide.

Dicitur rectè: Liberum Arbitrium in ho-
mine est facultas applicandi se ad
gratiam?

RECTè sic dicitur, si accommodetur ad hominem habens
tem initia fidei, stantem in lucta spirituali, qui exci-
tat us permissione Euangelij iam secum luctatur DEVM
inuocat & repugnat diffidentiae, & alijs uiciosi affecti-
bus, quemadmodum, Philippus uetus id dictum in locis
communibus accommodat.

Sed nulla ratione accommodari potest ad hominem,
qui sine Spiritu Sancto est. Nam & Petrus Lombardus
Lib: 2. distinct. 24. inquit: Liberum Arbitrium
esse in homine facultatem elegandi bonum, as-
sistente gratia, uel malum eadem desistente.

Erasmi igitur opinio de ui modicula, qua homo
se possit applicare ad gratiam tantum distat à mente &
sententia Philippi quantum distat Pelagiana Papistica
imaginatio de naturali ui ad motus spirituales in homine
reliqua a mente & ueritate Spiritus Sancti.

Dicitur rectè: Aliquam Causam discriminis
esse in nobis, quod Dauid conuertitur, Saul non con-
uertitur: Saul abiicitur, Dauid recipitur?

C 5

Recte

Recte sic dicitur, si dextrè accipiatur. **DEVS** enim non uult perire quenquam, sed omnes conuerti. 2. Pet: 3. Et gratia **DEI** non de fuisset Sauli, si uoluisset, Causa igitur impenitentiae Saulis in ipso Saule fuit.

Causa Conuersionis in Dauide fuit gratia **DEI** conuertens eius Cor per uerbum quando ei non repugnauit, sed per gratiam **DEI** uolens ei obediit Obedientia illa non fuit in Saule.

Sic abiectus est Saul à **DEO** propter impoenitentiam. David receptus est à **DEO** per fidem in Christum Mediatorem, iuxta illud Christi: Fides tua te saluam fecit. Quae fides non fuit in Saule. Nec tamen David à **DEO** receptus est, propter ipsam fidem, sed propter Christum in quem credidit.

Dicitur ne rectè Conuersionem in nobis esse opus Solius Spiritus Sancti?

Recte quidem sic dicitur, sed dictum hoc eget explicati-
one. Non enim sic accipiendum est, sicut id acceperunt Anabaptistae & alij Fanatici.

Manifestum est, Scripturam docere, q; **DEVS** det nobis poenitentiam, auferat cor lapideum, det cor carneum, det illuminatos oculos, aperiat nobis Cor, efficiat ut uelimus & perficiamus.

Fatendum & illud est, in communi usu loquendi saepe sic loqui Ecclesiam, Conuersionem seu Regenerationem, cordis esse opus solius Spiritus Sancti.

Sed generale hoc dictum ut non excludit Verbum **DEI** & Ministerium Verbi: Ita non excludit auditum Verbi

Verbi DEI, nec cordis nostri obedientiam, nec
collit Regulam: Nulla fit ad DEVM conuersio,
nisi Voluntas Deo obediat, quæ etsi ex viribus
carnis obedire DEO nequit: attamen debet
audire discere, & cogitare Verbum DEI & cum
ei per gratiam DEI obtemperat, obtemperat
sciens & volens non coacta.

Habetne homo ita se mere passiuè, vt in Con-
uersione per omnia se habeat, vt truncus?

NON. Quia Homo debet & potest cum uult, Ver-
bum DEI audire, cogitare: Vti Sacramentis:
Verbum DEI non contemnere, nec repugnare ei: Potest
eidem quoq; assentiri quoad fidem Historicam, sicut Dæ-
mones credunt: Horum nihil truncus aut saxum facere
potest.

Præterea potest homo cum gratia DEI credere
Euangelio gratis se propter Christum recipi à DEO, id
saxum aut truncus nec facit nec facere potest.

Postremo dissimilitudo hæc in conspectu sit: Bacu-
lus Mosi uertitur in Serpentem, ut Lapis in ficum sine ulla
sua actione, sine ullo suo sensu sine auditu & cogitatio-
ne Verbi DEI, non sciens, nec sentiens, quid secum
agatur. At homo, cum à Spiritu Sancto con-
uertitur, non conuertitur sine ulla sua actione, sine
sensu & motu sui cordis sine auditu & cogitatione
Verbi DEI, nec sine assensione & obedientia Volun-
tatis suæ. Sentit & scit homo in Conuersione quid
DEVS

DEVS per uerbum secum agat, & cum per gratiam
DEI obtemperat, obtemperat uolens & liberè non
coactus.

Quomodo intelligendæ sunt similitudines illæ
in scriptura: cum homo confertur luto in
manu figuli. Esa. 64. Saxo. Eze. 11.

Iumento Psal. 73. Trunco Osee 6. ?

Uidendum est, ubi similia illa congruant, ubi non con-
gruant iuxta Regulas: Simile non est per omnia
simile. Simile non est idem.

Spiritus Sanctus per similia istæc de monstrat &
illustrat naturæ humane prauitatem & Adynamiam in
rebus fidei eatenus refutant Pelagianos, Papistas & Sya-
nergistas.

Sed scriptura per Metaphoras illas non confirmat
fanatica deliria, de inuoluntaria ar. ana conuersione
hominis. Nec tollit per eas in homine sensus, Mentem
& Voluntatem, Non tollit per eas studium auditum &
cogitationem Verbi DEI. Non conuertit per eas ho-
minem in brutum aut truncum.

Hæc omnia dextre intellecta docent. Cur & quo-
modo copulatio Causarum Verbi DEI, Spiritus Sancti,
& Voluntatis nostræ obedientis DEO in Ecclesia reti-
nenda sit.

Si enim solus Spiritus Sanctus statuatur Causa con-
uersionis omisso Verbo DEI iam deliria Manichæa &
Stenckfeldiana confirmata sunt: Si duæ tantum statuatur
causæ nostræ conuersionis, Spiritus Sanctus & uerbum
DEI

DEI, mox quærent mentes, cur non conuertantur omnes, qui uerbum D E I audiunt? Cur Deus iustus & misericors non omnibus cor aperiat? Et implicantur Conscientiæ imaginatione de arcana uoluntate D E I absconditi de particulari electione diuina, & de arcana inuolutaria Conuersione fanatica, per quos in Diaboli laquios ruunt uel in Epicuræam profanitatem uel de sperationem.

Quid docet Secundus Gradus Serui Arbitrij de infirmitate & adynamia humanarum virium in his quæ sunt Spiritus DEI?

PRIMO. Euertit & refutat errorem Pelagij & Papistarum ueterum: Hominem posse suis uiribus Deum agnoscere, timere, diligere, credere Deo, mereri gratiam.

Secundo. Refutat opinionem Erasmi & recentium Papistarum, superesse in natura hominis, uim modicam qua se possit præparare & applicare ad gratiam.

Tertio. Clare refutat Semipelagianam Opinionem de naturali Synergia in rebus fidei reliqua in homine.

Quarto. Ostendit & refutat fanaticas opiniones Manichæorum & similium. Item Epicuræorum nostrorum & luctantium conscientiarum, quam Diabolus in tentatione fanatica imaginatione uexat.

Quinto. Conspicitur hic quid intersit inter opiniones Pelagianas, & imaginationes Enthusiasticas & quomodo fanaticæ præstigiæ & illusiones illæ Sathane, refutandæ inuicem discernendæ & non confundendæ sint.

Sic igitur Pelagiani, Papistæ & Synergistæ in Ecclesia

clesia refutandi sunt, ne impiæ fanaticæ opiniones aut illusiones illæ Sathanæ confirmantur.

Etiam hæc Regula in conspectu sit: Ea quæ dicuntur contra opiniones Manichæas & illusiones illas Sathanæ, non esse sic accipienda, quasi pro Pelagianis dicta sint, nec esse ea sic detorquenda, ut ad Pelagianas opiniones stabiliendas accommodentur. Id enim si fiat fit rerum diuersarum Confusio, & committitur Sophistica aut Calumnia.

TERTIVS GRADVS SERVI ARBITRII.

Habet ne renati Liberum Arbitrium in rebus
Spiritualibus?

HAbent aliquo modo. Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas, 2. Cor. 3. Sed libertas hæc in renatis fide valde impeditur in hac vita. Credentes igitur in Christum obediunt Legi DEI, non quoad perfectionem, sed quoad inchoatior. in nouæ obedientiæ sicut hæc dicta docent.

Rom. 7. Mente seruius Legi Dei, Carne seruius legi peccati. Idem. Velle mihi adiacet, perficere non inuenio.

Quæ causa impedit in renatis Liberum Arbitrium in rebus Spiritualibus.

Peccatum Originis hærens in natura hominis, & mala Concupiscentia remanens in renatis, quæ cum semper prona sit ad malum, fans & causa est perpetuæ luctæ inter carnem & Spiritum & facit, ut septies in die cadat iustus sicut scriptum est. Gal. 5. Caro concupiscit aduersus Spiritum. Rom. 8. Sensus carnis inimicitia est

con-

contra Deum. Rom. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi, mentis mee, quæ captiuum me trahit sub imperio peccati remanentis in carne.

Hinc patet, quæ seruitus Liberi Arbitrij remaneat in renatis, seu in Sanctis in hac uita.

Quæ Consolatio opponenda est mala Carnis Concupiscentiæ in renatis?

PRIMO. Filius DEI propitiator interficiens omnem inimicitiam, tegit coram DEO sordes peccati remanentes in Carne. Psal. 32. Beati quorum tecta sunt peccata. Esa. 4. Filius DEI Messias & Dominus, Umbraculo gratiæ tegit omnes nostros nauos & infirmitates nostras. Christus igitur uestiens nos ueste gratiæ & indumento iustitiæ suæ tegit peccata in nobis reliqua. Sic DEVS Adam & Euam in Paradyso receptos in gratiam uestiuit pelle Agni, tegens nuditatem eorum.

Secundo. Filius DEI sanans hanc agram naturam Spiritu sancto reprimit & mortificat furias peccati in Carne remanentes in Sanctis, ne mala & rebellis Caro in eis regnat. Sicut scriptum est. Rom. 3. Si Christus in uobis est, Corpus peccati mortuum est, Spiritus uero uiuit, Qui enim Spiritum Christi non habet non est Christi. Rom. 6. Vetus noster homo simul cum Christo crucifixus & mortificatus est, ut ultra non seruiamus peccato. Rom. 8. Lex Spiritus uitæ liberauit nos à lege peccati.

Tertio. Christus præcipit, ut uigilemus & oremus aduersus Sathanam & carnem, ut & arma ist hæc resistamus

resistamus eis in die mala, ideo sic precari nos docuit: Et
ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Eph: 6. Induite armaturam DEI ut possitis stare aduersus
in sidias Diaboli & resistere in die mala: Gen: 4.
Sub te sit appetitus peccati & tu domineris ei.

Quarto. Christus filius Dei Pontifex & Rex
noster non de relinquit nos Orphanos, non deserit inuo-
cantes Deum sed per Spiritum Sanctum adiuuat & con-
firmat in renatis languidam uoluntatem ut possit Verbo
DEI credere & sustentare se uoce Euangelij, resistere
securitate Carnali & petere à DEO auxilium iuxta illud.
Philip: 4. Omnia possum in eo qui confortat me.
Item, Marci 9. Credo Domino sed opem fer incredulitate
mea.

QVARTVS GRADVS SERVI ARBITRII.

Habet ne homo Liberum Arbitrium in recti-
tudine & euentibus Consiliorum?

NON habet. Quia post lapsum Adæ amisit ho-
mo prestantiam donorum, decus Sapientie Ori-
ginalis & maxima parte Dominium supra Creaturas.
Ideo iam non semper uidet in Consilijs, quæ recta sunt nec
semper euentus prospicit, nec successus in sua potestate
habet, sicut scriptura docet. Ier: 10. Scio Domine:
quod non est hominis uia eius, nec uiri ut dirigat gressus
suos. Prouerb. 16. Cor hominis cogitat uiam, sed
Dominus dirigit gressus.

Hec

**Hæc natura seruitus inter alia mala lapsum Adæ
secuta est. Agnita igitur nostra infirmitate discamus
diffidere humanis consilijs & petere à DEO ut ipse det
salutaria consilia & felices successus, nec permittat nos
Viam, & fallaci nostræ sapientiæ, sicut omnium tempo-
rum historia docent, Summos viros fiducia propriæ sa-
pientiæ aut potentiæ miserè perijsse.**

**Rectè explicatis his quatuor gradibus Serui Arbi-
trij in tollendo peccato & morte, In Conuersione & spi-
ritualibus motibus Cordis, de Carne & renatis Concupis-
cente aduersus Spiritum, de Electione & eventu Consilio-
rum quos ordine recitauimus, non opus est in Ecclesia
multis ociosis rixis & argutijs, quæ de Libero Arbitrio
mouentur. Et facile possunt explicari & refelli omnia,
quæ à Pelagianis & Manichæis, à Papistis aut fanaticis
obijciuntur.**

**Papistæ, Vt ante dictum est secuti Pelagianos ex-
tollunt vires Liberi Arbitrij contra gratiam Christi, sta-
bilium propria merita, docentes hominem posse facere
bona opera de Congruo & de Condigno.**

**Opera de Congruo uocant bonos motus Contritio-
nis & bona opera facta ante acceptam gratiam Iustifica-
tionis, quæ docent esse meritoria gratiæ.**

**Opera de Condigno uocant bona opera, quæ fiunt
auxiliante gratia & Iustificationem sequuntur eâ docent
offensoria Vite æternæ.**

**Manichæorum, Enthusiatarum & Fanati-
corum opuscula & signenta supra ostensa sunt.**

D

DE

DE EVANGELIO.

Quid est Euangelium?

EST prædicatio Pœnitentiæ & remissionis peccatorum, donationis Spiritus Sancti & uitæ æternæ omnibus gratis donandæ per misericordiam DEI propter Christum Mediatorem, non nota naturaliter, sed prolata per Filium DEI ex arcano sinu Patris, quæ sola fide apprehenditur.

Alias sic definitur & utraq; Definitio pia & uera est:

Euangelium est promissio gratiæ Dei per Christum non nota naturaliter, sed prolata ex sinu Patris, quæ gratis ex misericordia DEI propter Christum Mediatorem offertur remissio peccatorum iustitiæ, donum Spiritus Sancti, & uita æternæ omnibus peccatoribus pœnitentiam agentibus. Eze. 18. Vivo ego, nolo mortem peccatoris sed ut conuertatur & uiuat. Matt. 9. inquit Christus: Non ueni iustos sed peccatores uocare ad pœnitentiam. Rom. 1. Euangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti, Reuelatur in eo iustitiæ DEI per fidem Iesu Christi super omnes credentes. Ro. 3. Ioh. 3. Sic DEVS dilexit Mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat sed habeat uitam æternam. Rom. 3. Omnes sunt sub peccato. Iustificamur autem, gratis gratia DEI per redemptionem Iesu Christi quem proposuit propiciatorium per fidem in sanguine eius.

Dicitur

Dicitur recte Euangelium est Prædicatione
pœnitentiæ.

Ita, & id perspicue confirmant quatuor sequentes
Cause.

Prima. Quia uox pœnitentiæ in Definitione illa
Euangelij non significat solam Contritionem, sed totam
piam pœnitentiam cuius præcipua pars fides in Chri-
stum est de qua Lex nihil dicit.

Sic concio Euangelij propria est. Ezech: 18.
Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur
& uiuat. Item. 2. Pet. 3. DEVS non uult perire quæ-
quam sed omnes uenire ad pœnitentiam. Simile est cum
Christus inquit: Matt: 9. Non ueni iustos sed peccatores
uocare ad pœnitentiam. Et proprium Christi officium
est miseros peccatores uocare ad pœnitentiam.

Interim Lex diuina nec reijcitur nec à concione
pœnitentiæ excluditur, ad quam necessaria est:
Quia per Legem agnitio peccati est, & Lex con-
terit & occidit corda, ut discant sibi opus esse
alio liberatore seu mediatore apud DEVM.

Secunda. Quia certissimum est in prædicatione
pœnitentiæ non sufficere prædicationem legis, sed addi
oportere Euangelium de gratia Christi.

Non recte igitur dicitur: Pœnitentiam ex
sola lege docendam esse. Quia Pœnitentia so-
lum ex lege, ut LV THERVS inquit, tantum est
dimidium seu initium Pœnitentiæ, & si perse-
uerat fit Pœnitentia Cain & Iudæ. Neceffe

est igitur accedat Euangelium, ne peccatores spem concipiant. Errant igitur, qui negant Euangelium predicare poenitentiam. Lex enim diuina inquit, Maledictus omnis, qui non implet legem DEI. Deut: 27. Item, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. Matt. 7. Ea uox legis propria est. Christus e contra in Euangelio inquit: Venite ad me omnes qui onerati estis, Matt. 11. Item, non ueni iustos sed peccatores uocare ad poenitentiam. Matth. 9. Ea uox Euangelij propria est.

Tertia. Quia Euangelium offerendo gratiam DEI in Christo, per claram certam consequentiam arguit omnes de peccato, docens omnes esse reos irae DEI & opus esse omnibus ut agant poenitentiam. Vtraq; enim doctrina, Lex & Euangelium seu promissio Euangelij arguit peccata, sicut docet Lutherus super Psal: 51. in uersu: Tibi soli peccaui. Et super Epist: ad Galatas Cap: 3. in dicto: Conclusit omnia sub peccato &c.

Si Euangelium promittit gratiam DEI, docet nos esse sub ira DEI: Si promittit remissionem peccatorum docet nos esse sub peccato. Si promittit uitam, docet nos esse sub morte: Euangelium igitur quatenus peccata arguit eatenus & poenitentiae praedicatio recte dicitur. Sciendum autem hic est, Legis proprium esse accusare peccata: Euangelij proprium esse consolari peccatores poenitentiam agentes. Interea uerum est, Legem & Euangelium peccata arguere sed dissimili modo & fine.

Primo. Lex peccata, qui prohibet arguit in specie per omnia precepta Decalogi: Euangelium de peccato

peccatis illis nihil dicit in specie sed uocem legis appro-
bans in genere inquit: Conclufit Deus omnes sub peccato,
docens omnes esse reos aeternae mortis, ut omnium misere-
atur.

Secundo. Lex proprie arguit & accusat pec-
cata: Euangelium non arguit proprie peccata, sed pro-
prie consolatur corda. Interim multis modis Euange-
lium arguit peccata, quatenus legis officium exercet, &
quatenus legem stabilit. Ideo uero Euangelium legis
officium exercet, ut faciendo opus alienum, faciat opus
suum.

Tertio. Lex arguit peccata ad aeternam damna
omnem, Quia Ministerium damnationis est. 2. Cor. 3.
Euangelium arguit omnes de peccato, uocando peccato-
res ad poenitentiam. Ergo & eatenus praedicationis poeni-
tentiae recte dicitur. Non recte igitur contenditur, solam
legem peccata arguere: Euangelium nulla ratione pec-
cata arguere.

Quarta. Spiritus sanctus per Euangelium arguit
Mundum de peccato, quod non credunt in Christum, hoc
est, per Euangelium reuelatur & arguitur Ignoratio
& contemptus Christi Filij DEI Mediatoris quod pecca-
tum incredulitatis dicitur, quae & omnia mundi bona
opera coram DEO peccata efficit. Quicquid enim non est
ex fide peccatum est. Rom. 14.

Errant igitur, qui contendunt peccatum Increduli-
tatis in Christum reuelari & accusari non per Euangeli-
um sed per solam legem DEI. Lex enim de Christo
Mediatore seu de fide in Christum nihil docet. Tantum

arguit diffidentiam in genere erga DEVM in rebus
Corporalibus & Spiritualibus.

Postquam uero peccatum incredulitatis in Christi-
stum per Euangelium patefit, tunc & lex in primo præ-
cepto DEI arguens diffidentiam erga DEVM, ean-
dem doctrinam accipiendo interpretationem ex Euange-
lio, cum sua Doctrina coniungit, & idem peccatum
Incredulitatis in Christum simul accusat & arguit.

Quando Vero Spiritus Sanctus uoce Euangelij
peccatum Incredulitatis in Christum arguit eo ipso Euan-
gelium non consolatur corda, sed legem declarat & legis
officium exercet faciendo opus alienum, ut faciat opus
suum hoc est arguit omnes de peccato illo, sicut & iusti-
ciam operum arguit & damnat, quam lex exigit ut
corda uocet ad pœnitentiam & ut per gratiam Chri-
sti ea consoletur & sanct. Eatenus igitur Euange-
lium rectè dicitur prædicatio Pœnitentiæ.

Estne Antinomica definitio Euangelij
Cum Prædicatio Pœnitentia
dicitur ?

NON est Antinomica. Etsi enim Euangelium uo-
cat peccatores ad pœnitentiam & pœnitentiam re-
quirit: attamen non tollit prædicationem legis.

Furor est dicere, legem non esse docendam in
Ecclesia: uel prædicationem Legis in prædicatione
pœnitentiæ non esse necessariam.

Errant

Errant Antinomi cum uociferantur: Pœnitenti-
am prædicandam esse non ex lege, sed ex Euangelio,
propterea quod Euangelium pœnitentiam prædicet.

Sic errant & alij, qui contendunt pœnitentiam non
ex Euangelio, sed ex sola lege docendam esse, hoc est,
quod Lutherus inquit in prima disputatione contra
Antinomios: Quosdam non considerantes Causam
dicendi, putare dici contra legem, cum Euangelium pœ-
nitentiam prædicare dicitur.

Econtra docenda est Ecclesia, Veram Christia-
nam pœnitentiam ex Lege, & Euangelio simul doceri
oportere. Ex lege est Contritio cordis, agnitio peccati
& ira DEI. Ideo Lex in Ecclesia acuenda est. Etiam
uox Euangelij arguens nos de peccato, faciendo legis
officium contristat & humiliat corda, & monstrata
gratia DEI per Christum efficit, ut Contritio in cor-
de sit tristitia secundum DEVM ad salutem.

Fides altera pars Pœnitentiæ qua in sensu peccati
ad Christum Mediatorem confugimus tota ex Euan-
gelio est. Noua obedientia in Conuersis est ex Lege &
Euangelio, Lex est Regula nouæ uitæ: Euangelium do-
cet quomodo noua uita in renatis sit possibilis & quo-
modo DEO placeat.

Confunditur Lex cum Euangelio cum dici-
tur: Euangelium est prædicatio
pœnitentiæ.

NEquaquam: Quia Vera discrimina Legis &
Euangelij quæ sumuntur à Notitia, à gener-
doctrinæ

doctrinae, à promissionibus, ab effectibus, manent salua
 & immota ut mox dicetur. Falluntur, qui sic distin-
 gunt: Lex prædicat poenitentiam: Euangelium non præ-
 dicat poenitentiam: sola Lex arguit peccata: Euan-
 gelium nulla ratione arguit peccata: Quia manifestum
 est: Poenitentiam ex lege esse dimidium poenitentiae seu
 poenitentiam Cain & Iudæ, Et Euangelium eatenus pec-
 cata arguere quatenus legis officium exercet. Omnino
 errant, qui contendunt Euangelium de gratia Christi non
 prædicare poenitentiam, nec recte dici prædicationem
 poenitentiae & prætexunt, per hanc doctrinae formam
 tolli & confundi discrimen legis & Euangelij, Euan-
 gelium transformari in legem, Christum transformari in
 Mosen, deleri meritum & gratiam Christi, obscurari lu-
 cem sacrae scripturae, pijs conscientijs ueram & certam
 consolationem eripi & papatui in Ecclesijs nostris fore
 rursus patefieri. Quod faciunt non hi qui docent Eu-
 angelium prædicare poenitentiam Christi proprium offi-
 cium esse, peccatores Vocare ad poenitentiam Euan-
 gelium arguere peccata, sed illi qui uera discrimina legis &
 Euangelij tollunt & abolent.

Quomodo igitur differunt Lex &
 Euangelium?

Quatuor modis differunt

- 1 Notitia
- 2 Genere doctrinae
- 3 Promissionibus
- 4 Effectibus

Quomodo differunt Notitia?

Lex



Lex omnibus hominibus etiam post Adæ lapsum alie
quomodo naturaliter nota est diuinitus hominum menti-
bus insita. Rom. 2. Gentes habent opus legis scriptum
in cordibus & natura ea, quæ legis sunt, faciunt.

Euangelium est **Mysterium gratiæ DEI per Chri-**
stum absconditum in Deo à seculis, prolatum à Filio DEI
ex arcano sinu patris Eph. 3. Ioh. 1 Deum nemo
uidit unquam Filius DEI, qui est in sinu patris, ipse enar-
rauit nobis.

Quomodo differunt genere doctrinæ?

Lex est concio iræ DEI aduersus omnes peccatores,
arguens omnes ad æternam maledictionem. Deut.
27. Maledictus omnis, qui non perficit opera omnia quæ
scripta sunt in lege.

Euangelium est **Concio gratiæ DEI per Christum**
erga omnes peccatores agentes pœnitentiam. Ioh. 3.
Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum
daret ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat
uitam æternam. Ezech. 18. Viuo ego, nolo mortem
Peccatoris sed ut conuertatur & uiuat. Ioh. 3. Qui
credit in Filium DEI habet Vitam æternam. Lex igi-
tur arguit peccata & conterit corda: Euangelium pro-
priè consolatur & erigit corda, reuocans peccatores
uocce legis contritos ad pœnitentiam ut ad DEVM re-
deant.

Quomodo differunt promissionibus?

Promissiones legis sunt Conditionales: promissiones
Euangelij sunt gratuita, hoc est, Lex promittit

D S

Vitam

Vitam eternam cum conditione impletæ legis propter
bona opera, his qui digni sunt. Luc. 10. Hoc fac
& uiues. Leuit: 28. Qui fecerit legem uiuet in ea.
Euangelium promittit gratiam DEI & uitam eternam
peccatoribus reis & indignis gratis propter Christum.
Gal. 3. Conclufit Deus omnes sub peccato, ut omnium
mifereatur. Eph: 2. Gratia DEI, faluati fumus per
fidem Iefu Chrifti non ex nobis, non ex operibus, DEI,
donum eft.

Quomodo differunt effectibus?

Lex eft Ministerium mortis. Litera occidens,
damnans omnes peccatores æterna morte. 2. Cor. 3.

Euangelium eft Ministerium Spiritus, iufticiæ &
Vitæ. 2. Cor. 3. Euangelium eft potentia DEI ad
falutem omni credenti, illuminans & uiuificans corda,
fapientiam præftans paruulis. Ro: 1. Pſal. 19.

Quomodo & ubi primum traditum eft
Euangelium?

IN Paradifo, quando ftatim poſt lapſum Adæ dulciſ-
ſima promiſſio gratiæ ex ſinu DEI patris reuelata
eſt, Semen mulieris conteret caput ſerpentis, qua Deus
primos parentes crexit inquiens ad eos: Confidete non
abiiciam uos, ſicut abieci malos Angelos, recipiam uos
in gratiam, per miſericordiam propter Unigenitum
Filium meum, qui factus homo, natus ex Virgine de Spi-
ritu Sancto, redimet uos à poteſtate Diaboli & mortis.
Is erit Redemptor & Saluator ueſter.

Fuit

Fuit igitur in Ecclesia unum & idem Euangelium
ab initio Mundi, unus & idem Christus, una eademq; fi-
des, una & eadem Via salutis eternæ, sicut docet Decre-
tum Apostolorum in Concilio Act. 15. Credimus per
gratiam Iesu Christi saluari, sicut Patres nostri.

Apo: 13. Agnus DEI occisus est obinitio Mundi.

Eb. 13. Christus Iesus heri, hodie & in secula.

Quid docent Papistæ de Euangelio?

Papistæ confundunt legem & Euangelium & Chri-
stum Thronum gratiæ, Propiciatorem nostrum
transformant in Moysen seu legis latorem deleta promissio-
ne gratiæ.

Hodie docent Papistæ, Christum Filium DEI esse
pro nobis Crucifixum & resuscitatum, ut morte sua ex-
piaret & auferret peccata & ut propter eum nobis da-
retur gratia Spiritus Sancti, qui iusticiam in nobis opere-
tur, ut nos iustos efficiat & ut præter Legem DEI tra-
deret Ecclesiæ præcepta & consilia Euangelica, de ope-
ribus Misericordiæ de diligendis inimicis, de patientia,
castitate, humilitate, paupertate &c. Quæ præ-
cepta Papistæ uocant legem Christi & docent in eis sitam
esse perfectionem coram DEO.

Docentne rectè Papistæ: patres ante diluuium
saluatos esse Lege Naturæ? Iudeos saluari
lege Moysi, Christianos saluari lege Christi?

NON quia impia & falsa hæc opinio prorsus delet
promissionē Euangelij de gratia per meritum Chri-
sti Mediatoris, & confirmat impium errorē acceptum ab
Ethnicis

Ethnicis & Philosophia. Hominem Virtute beatum esse:
Hominem saluari per merit a bonorum operum.

Quid docent Papistæ de ditcrimine Legis
& Euangelij.

Docent legem tradere præcepta & opera, sed non
conferre gratiam seu uim implendi Legem DEI.
Euangelium uero docere gratiam & opera per-
fectionis & simul conferre gratiam Spiritus Sancti faci-
endi ea seu implendi Legem.

Magister Sententiarum lib. 3. distinct. 39. sic in-
quit: Lege coerceri manum, Euangelio cohiberi manum
& animum.

Tantæ tenebræ fuerunt & adhuc sunt in Papatu,
de Euangelio & de Mediatore nostro, quas cum iusticia
bonorum operum & cum multis alijs erroribus Papistæ
petulanter & pertinaciter retinent & mendacijs de-
fendunt.

AD SPIRITUM

SANCTVM QVERIMONIA

de obstaculis Ecclesiæ &

Scholarum.

Spiritus afflator pietatis, amabile Numen,
(Cuius parua quidem, sed pia turba sumus)
Sancte sator lucis recreans mortalia corda,
Vnde uel extinctis aura secunda uenit:

O ani.

O anime uirtus, o uita perpetis ardor,
Irradians animis quos tua Templa facis.
Halitus eterno spirans à Patre Logoq;
Non minor eterno Patre, Logoq; DEVS:
Iamne uides nostri dictata nouissima catus?
Iamne gregis laceri fata suprema uides?
Differimur: plebs uicta sumus: Vix arma tenentes
Cogimur augusto lapsa corona loco.
Quas memorem causas? aut quid querar? omnia retrò
Tanquam præcipiti turbine rapta fluunt.
Nos tamen impositum concordì pectore saxum
Voluimus: & lacrymas & pia uota damus.
Si qua prius tetros nifamis ataxia mori
Intulit, unde SCHOLAE fluxit amara lues:
Nunc dubia certant palma Doctrina Pudorq;
Ars, Pietas uno tendit utrumq; iugo.
Sollicitis animis urgemus honesta Magistri,
Paruaq; non renuit frena catenua pati.
Sic fruimur Rectore DEO, tamen ecce retrosum
Omnia præcipiti turbine lapsa fluunt.
Non hæc factorum inuidia est: non astra resistunt
Non regio miris diues & apta modis
Sollemnes subsunt Cause: Vineta secamus
Ipsi nostra, genus non sine labe sumus.
Iam uolumus: uolucerq; animis exæstuat ignis:
Iam trepidant sensus & sine luce iacent.
Hinc uarij lapsus (ceumurus aheneus) obstant,
Turbida ne Patrius prouehat acta fauor

Hinc

Hinc furor & diræ nocet inclementia lingua,
Publica ne sanctum fama secundet opus
Mitto alias fraudes occultaq; uulnera mitto
Ignea quæ stygius tela Satelles habet.
Ille Scholas (si qua emergit te præside) in herbas
Proterit, & cana callidus arte premit:
Ille greges nostros totamq; ab origine gentem
Inuisam infando ferreus igne coquit:
Illi opus & labor est uastas tentare ruinas,
Surgit ubi auspicijs parua Taberna tuis.
Ecce rubet pavidum (quam lata est Belgica) Cælum,
Altaq; perpetuis ignibus astra tremunt.
Quid Senomum tristes motus, Gallosq; ruentes
In sua funesto uiscera Marte querar?
Iam mihi, iam uideor fluuios spectare cruoris,
Impia Congestis ossibus albet humus
Quam cladem ô Nomades, quæ funera tanta paratis?
Parcite, in innocuum uertere tela genus.
Parcite, iam dudum fraterno sanguine turres,
Oppida, rura, forum, curia Tempia madene
Vsq; adco exagitat furijs, atq; omnia late
Dissipat incumbens in sua fata Draco.
Flammigeriq; ruunt in bella nefanda Leones,
Bella nec Ausonijs non meditata Lupis.
At tu uiua Patris Spirans è pectore flamma,
Quem, pia Christicolæ cura cohortis habet
Anxia quam trepidet, quamq; omni parte labore.
Fixa DEO uiuo concio parua uides

QUAS

Quas cumulet lacrymas, quos rumpat pectore planctus
Casta Columba sui comparis orba, tenes.
Exorere ò semper uiuentis amabile lumen,
Nosq; tege inuicta ritè uocatus ope.
Nos tege dulce decus, qui quid sumus? excipe quot te
Nitimur, abiecta atq; orphana turba sumus.
Ecquæ ex occasu sūrget tibi gloria nostro?
Quid facit ad laudes nostra ruina tuas?
Defende imbelles cætus, defende Sareptam,
Quæ colit æternum uoce fideq; DEVM.
Nempe, tuum est Christi quæ sanguine parta, tueri
Implacata manu frangere monstra tuum
Protege nos ò uiua animæ fiducia nostra,
Et fera præsentis Numine monstra preme.
In templis frena Satanam, Satanæq; Cohortes,
Sint ut ibi imperio subdita cuncta tuo:
Inq; Scholis aliquas Paraclete pijsissime, saltim
Reliqui tanquam semina sancta foue.
Ut tuò in amplexu Christum tranquilla iuuentus
Imbibat In Curas officiosa suas.
Hunc & Custodes fida statione manentes
Rectorem spectent, huic sua facta probent.
Sic tandem obiectas patiens constantia moles
Transcendens, nitidum tollet ad astra caput.
Teq; DEVM nostrum extento cantabimus æuo,
Tu gregis attoniti fautor & auctor eris.

Te

Te Duce non preunt labor & studiosa Voluntas,
Nec pia frustrato murmure uota cadunt.

○ Domine adauge fidem meam, &
fer opem meæ imbecillitatj, vt
sit & maneat mens sana in
corpore sano.



Observatio juvenilis de componen-

dis versibus.

Generum oia facilima sunt Parthenia-
cum, Adonicum, Hexametrum,
Archilochium, Phalaecium, Elegia-
cum, Trimeterum, Dimetrum,
Sapphicum. NB.

Ex trib. adonicis versibus fit sine ullo
vicio, exacta casura Hexameter.
Item addita in initio et fine archi-
lochij tantum addita Syllaba fit
Partheniacus versus. Item si ad-
sunt quatuor Partheniaci et tot
archilochij, ex primo archilochio
et 2do partheniaco versu tibi
sine vicio versus hexameter, item
et 3. et archilochio et 4 par-


Themiaco fit hexameter. E contra ex
2 archilochio et .i. Partheniaco
item ex quarto archilochio, et 3tio
partheniaco fit sine ullo uitiō versū
hexameter.

x

Fio
msg

Handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, appearing as faint bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.






Cb. 1849.


ULB Halle 3
004 976 86X



Sb,
Cb 1849.

A. L.





QVERELAHV⁴
IVS TEMPORIS
ECCLESIAE CRVDE,
LITER OPPRESSÆ CORAM IE-
HOVAH FVNDENTIS ORATIO-
nem ex Psälmo centesimo

Secundo.

PER *Cl 2403*

M: JOACHIMVM
KRVGERIVM MAR,
CODVRANVM SANÆ THE-
LOGIAE STUDIO SV M.

PHILIPPVS MELANTHON.

*Exul erat CHRISTVS, comites nos, exulis huius,
Esse decet, cuius nos quoq; membra sumus.*



MAGDEBVRGÆ, EXCVDEBAT
Paulus Donatus, Anno 1582.

